

que acceptatio sponsalitiae promissionis suapte natura acceptationem conditionis seu repromotionis futuri matrimonii desiderat, dum praesertim futurae nuptiae promittuntur non gratis, et per modum liberalis promissionis, sed respective et per modum contractus ultro citroque obligatorii, velut si promittens dicat « *promitto tibi si tu repromittas*, » vel aliis verbis, aut apertis indicis animum suum prodat contrahendi vera sponsalia, quibus utsique obstringatur. Unde si quis promissionem hujusmodi acceptaret sine animo repromittendi et se vicissim obligandi, tunc promissio et acceptatio nihil operantur, et neuter obstrictus manet; non promittens, quia ejus promissio non fuit liberalis, nec absoluta, sed conditionata, adeoque conditione non impleta, seu altero non repromittente nulla oritur obligatio: non acceptans, quia ipsi defuit voluntas se obligandi: actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum, L. Non OMNIS ff. de reb. cred.

Sed aliter sentiendum est, quando promissio fiat *gratis* et *liberaliter*; tunc enim acceptatio promittentem ligat, etiamsi acceptans nec repromittat, nec obligetur. Promissio autem liberalis et gratuita est, cum in alterius arbitrium et favorem unice conferatur. Tunc siquidem acceptatio non habet vim et effectum repromotionis, sed solus promittens non vi sponsalium quae claudicare non possunt, sed vi promissionis acceptatae obstrictus manet, donec puella intra congruum vel praefinitum tempus animum suum aperuerit. Itaque si puella repromittat, sponsalia tunc erunt; si repromittere renuat, promittens a vinculo promissionis absolvetur.

« Refert autem multum, » uti ad rem observat Sanchez lib. I de Sponsal. disput. 5 n. 8, « an promissio haec obliget vi sponsalium, an vi simplicis promissionis, cum priori casu oriatur impedimentum publicae honestatis, posteriori autem minime. Dices autem, prosequitur idem Auctor cit. loco, num. 15, quando censemur per modum contractus, et

quando gratis promittere? » Respondet autem « promittentis intentioni standum esse; quod si de ea minime constet ex conjecturis desumptis, ex antecedentibus deprehendetur. Si enim de matrimonio inter eos contrahendo tractabatur, manifestum est promissionem non esse gratuitam; si autem de hoc nullatenus sermo erat, sed ob aliquod beneficium acceptum quasi se gratum exhibens, promisit, censetur ex gratitudine ac benevolentia promisso, et non per modum contractus respectivi: in dubio autem censetur juxta sponsalium naturam, quae est ut sit contractus mutuus et respectivus, promittere; quare altero non repromittente, minime tenebitur. »

§ 140.

DE EXTERNA MANIFESTATIONE PROMISSIONIS.

Quinto tandem requiritur, ut promissio futuri matrimonii sit externa, videlicet ut voce, aut scripto, aut aliis externis signis proferatur, cum intentio mente retenta nihil in humanis contractibus operetur, L. CUM IN PLURES 60 § Locator ff. Locati. Itaque contrahendis sponsalibus impares sunt visu, auditu et loquela destituti, qui nempe simul muti, surdi et caeci sunt: isti neque verbis, neque signis possunt jura et obligationes sponsalium edoceri, neque valent aut proprium consensum exterius significare, aut alterius consensum sufficienter percipere et acceptare. Contra autem mutus vel surdus tantum, aut etiam mutus simul et surdus valide contrahit sponsalia vel matrimonium, « *cum quod verbis non potest, signis valeat declarare* » ut inquit Pontifex cap. CUM APUD 23 hoc tit. Disputatur autem, num silentium ad oblatas sibi nuptias sufficienter exprimat consensum, locumque hic habeat regula Juris 43 in 6 « *qui tacet consentire videtur*. » Sit ex. gr. puella, cui a viro paris conditionis offerantur nuptiae, atque

etiam promittantur; ipsa vero, quamvis interius consentiat, exterius tamen nec verbis, nec signis ullis animum suum appetiat, sed tantum sileat. Jam vero communior sententia est, solam taciturnitatem administriculis aliis destitutam satis non esse ad inducendam sponsalium obligationem; silentium enim perse in contractibus ineundis nihil efficere posse videtur, dum contrahentium animum nec probat, nec manifestat, sed quid medium est inter expressionem consensus et dissensus juxta regulam Juris 44 in 6 « qui tacet non fatetur, sed neque negare videtur. » Itaque prior regula « qui tacet consentire videtur » ex magis recepta interpretatione locum habet in actibus favorabilibus, qui nullum onus et gravamen afferunt tacenti; nam quisque presumitur velle quod sibi bonum est atque utile, non autem in illis quae onus adnexum habent, aut damnum afferre possunt, ut in sponsalibus aliisque contractibus onerosis, L. 8 ff. de Procurat. « invitum accipere debeamus non eum tantum qui contradicit, verum eum quoque, qui consensisse non probatur. » Sunt autem duo casus in quibus tacens habetur pro consentiente et contrahente. 1. Si tacens aliquo facto indicium praebeat ex quo animus contrahendi prodatur. 2. Si filius taceat, dum ipsius nomine sponsalia a parentibus contrahuntur. Et quod primum spectat, tria potissimum sunt indicia seu signa, quibus consensus tacentis in sponsalibus explicatur. Primum est subarratio, hoc est immissio annuli ejusque receptio, ubi tamen ex parte immittentis annulum praecesserint verba consensum in futuras nuptias exprimentia: tunc enim altera pars, etiamsi taceat, consentire censemur facto ipso dum annulum recipit. Secundum est arrharum et donorum acceptatio, quando nempe habito inter amicos tractatu de matrimonio contrahendo, sponsus misit arrhas vel jocalia, aut annulum, aut etiam pecuniam nomine doni sponsalitii, et mulier haud ignara praecedentis tractatus acceptavit. Illis enim muneribus datis vicissim et acceptis veluti confirmatur, ratumque habetur quod ab amicis

ca de re gestum fuit. Tertium est porrectio manuum, ut si viro promittenti futuras nuptias foemina porrigat manum, porrectio enim dexteræ indicium est datae fidei. Num vero sponsalia sint, dum foemina non ultiro porrigit dexteram, sed a viro offerendi nuptias apprehensam non retrahit, vide Pontium de Matrim. lib. 2 cap. 11. Interim Canonistas communiter monent, quoties oporteat animum contrahentis ex signis et indicis colligere consuetudinem loci in primis spectandam esse.

Praestat hoc loco monere aliqua de sponsalibus, quae parentes pro filiis praesentibus et tacentibus ineunt. Exstat decisio Bonifacii VII in cap. unico de Desponsat. impub. in 6 his verbis: « Porro ex Sponsalibus quae parentes pro filiis, puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite si praesentes fuerint, neque contradixerunt, obligantur. » Itaque dum filii praesentes sunt, atque intelligunt ipsorum nomine a parentibus sponderi nuptias, vel si absentes fuerint, postmodum ea de re certiores ab ipsis parentibus facti tacuerint, neque verbis aut signis ullis contradixerint, censemur parentum facta approbare, rata et grata habuisse. Porro decisio Bonifacii VIII locum sibi vindicat tam respectu filiorum, quam filiarum, sive puberes, sive impuberes, sive emancipati sint, sive non; loquitur enim generatim et absolute sine sexus aut conditionis distinctione « pro filiis puberibus et impuberibus. » Itemque ea potestas valide contrahendi pro filiis attribuenda est non solum patri, sed etiam matri, tum quia in cit. cap. Bonifacii VIII de parentibus sermo est, quo vocabulo uterque parens designatur, tum quia decisio Pontificis nititur tam reverentia quae parentibus naturali jure debetur, quam paterno amore quo parentes recte filiis consulere praesumuntur: quae quidem rationes in matribus quoque militant. Nonnulli Doctores putant ea juris dispositione contineri etiam tutores, curatores et alios qui parentum loco sunt, ut videlicet tutor pro pupillo, cura-

tor pro minore praesente et non contradicente valide sponsalia contrahant. At sententia multo probabilior contendit, illud esse praecipuum et speciale in parentibus, quod filios possint sine eorum mandato aut expressa ratihabitione ad futuras nuptias obligare, tum quia citatum caput Bonifacii VIII de solis parentibus verba facit, tum quia tutoribus aliisque non eadem reverentia debetur ac parentibus, tum demum quia alius est amor et providentia parentum erga filios, ac tutorum et curatorum.

§ 141.

DE SPONSALIBUS PER EPISTOLAM AUT PROCURATOREM INITIS.

Sponsalia contrahi possunt tam inter praesentes, quam inter absentes, per litteras, per internuntium, aut per procuratorem: itemque pure in diem, vel sub conditione, adjectis etiam pactis, uti perdendae arrhae, si una pars sine justa causa resilierit.

Jam vero per litteras, aut internuntium, vel procuratorem sponsalia celebrari posse statuitur in L. final. ff. hoc tit., ubi diserte Ulpianus ait: « In Sponsalibus constituendis parvi refert per se et coram, per internuntium vel per epistolam, an per alium hoc factum est. » Jure etiam Canonico, et praesertim cap. ult. de Procurat. in 6, probatum est ut vicaria alterius opera consensus in nuptias edi possit. Itaque operac pretium est, ut in primis explicemus, quemadmodum per epistolam vel procuratorem sponsalia valide contrahantur. Jam vero sponsalia rite per epistolam ineuntur, dum quis litteris datis futuras nuptias alteri promittit, et vicissim persona quae litteras accipit, vel rescribendo, vel coram aliis ad eam rem convocatis animum suum declarando promissionem acceptat et repromittit, idque promittenti significatur. De caetero consensus simultaneus ad sponsalium validitatem non

§ CXLI. DE SPONS. PER EPIST. AUT PROC. INITIS. 301

postulatur, sed satis est ut quemadmodum in reliquis contractibus obtinet, qui prior consentit, in voluntate perseveret, donec altera pars in idem placitum consentiat. Internuntius autem vel procurator ut rite contrahat, instructus sit oportet speciali mandato ad contrahendum, et quidem non indefinite cum qualibet persona, sed cum certa et determinata, ore vel litteris eidem procuratori designata. Constat ex L. gen. 34. ff. de ritu nupt. ubi « generali mandato quae rendi mariti filiae familias non fieri nuptias rationis est: itaque personam ejus patri demonstrari qui matrimonio consentit, ut nuptiae contrahantur, necesse est. » Huic legi consentit glossa in cap. fin. de Procurator. in 6. Item glossa in Can. Nec ILLUD 30 q. 5 affirmat matrimonium non posse inter absentes contrahi nisi se invicem si non facie, at saltem fama vel alia ratione noverint, cum in eam personam quae prorsus ignoratur consentire haud possimus, unde tritum sermone proverbium « *ignoti nulla cupido.* » Praeterea internuntius, aut procurator per se ipsum exsequi mandatum debet, nec vices suas alteri committere potest, nisi facultas substituendi specialiter in ipso mandato contineatur, quia ob negotii gravitatem personae industria censetur electa. Denique observandum est nullius momenti sponsalia esse, si quo tempore internuntius vel procurator contrahit, mandatum revocatum sit, quamvis revocatio lateat procuratorem et alterum sponsum. Hoc enim ex cap. final. de Procurat. in 6 speciale est in sponsalibus et matrimonio, nam in caeteris contractibus revocatio mandati actum non infirmat, nisi procurator, vel is cuius interest, de revocatione certior factus sit; cuius sane discriminis ratio est, quod in iis quidem jus possit supplere consensum, non autem in sponsalibus et matrimonio.

§ 142.

DE CONDITIONIBUS CONTRACTUI SPONSALIUM ADJECTIS

Sponsalibus non secus ac caeteris negotiis conditions possibles ac honestae adjici posse certi juris est, veluti promitto nuptias, si tantum dotis intuleris, si pater aut alius consenserit. Quoniam vero conditiones suspendunt negotia quibus adjiciuntur, ita sponsalia sub talibus conditionibus inita non aliam obligationem pariunt, quam ut eventus conditionis expectetur. Impleta vero conditione sponsalia pura fiunt, et ad nuptias contrahendas obligare incipiunt; quae eadem obligatio oritur, si ille in cuius gratiam conditio adjecta est, eam vel expresse, vel factis ipsis remittat. Conditioni appositae renuntiatum censemur, dum illa adhuc pendente sponsi jam copulam exercuerunt, cap. PER TUAS 6 de Condit. apposit.

Verum si conditions turpes, et substantiae matrimonii repugnantes sponsalibus adjiciantur, sponsalia nulla sunt: conditions autem turpes aut impossibilis quae tamen substantiae matrimonii non repugnant, in favorem sponsalium pro non adjectis habentur, ut tradit Sanchez de Matrim. lib 5 disp. 47, quam sententiam Doctores communiter amplectuntur. Verum de his plura dabimus, ubi de conditionibus matrimonio appositis sermo erit.

§ 143.

DE ARRHIS SPONSALITIIS.

Nunc breviter de Arrhis dicendum est. Arrharum nomine veniunt res, quas unus ex sponsis, vel uterque alteri tradit in contractorum sponsalium tesseram, et in pignus matrimonii ineundi. Plane cuius generis, quantitatis, aut pretii res sint, nihil refert, quum legibus permittentibus arrhas nulla

§ CXLIII. DE ARRHIS SPONSALITIIS.

303

praescripta sit rei qualitas aut quantitas. Sequuto matrimonio arrha restituenda illi est qui tradidit, quemadmodum pignora in contractibus reddenda sunt, statim ac res praestita, aut promissio impleta est. Item restituenda arrha, si matrimonium absque ulla contrahentium culpa, puta alterius morte, celebrari non potuerit: « arrhis sponsalium nomine datis, si interea sponsus vel sponda decesserit, quae data sunt, jubemus restitui, » ita L. 3. Cod. de Sponsal. et Arrh. Concinnunt etiam Doctores omnes, arrham non amittere qui ex justa causa resilit a sponsalibus, veluti si religionem ingrediatur; non enim multandus est poena qui nihil deliquit, nec ulli injuriam facit dum utitur jure suo. Denique perspicuum est, arrhas reddi oportere, dum sponsalia mutuo consensu dissolvuntur. At vero si ob culpam unius ex contrahentibus, altero rationabiliter invito, matrimonium non sequatur, tunc violator fidei et suas arrhas perdit, et acceptas reddere tenet. Quod si nullas ipse tradiderat, non solum acceptas restituere, sed aliud tantumdem ex proprio patrimonio, seu earum aestimationem adjicere cogitur; nullam siquidem pateretur poenam, si illud tantum, quod acceperat, restitueret. Quin imo si contrahentes de duplo, aut triplo aut quadruplo reddendo pactionem fecerint, pacta servanda sunt, sed pactum de restituendis arrhis ultra quadruplum nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat, uti loquitur citata Lex 3 cod. de Sponsal. et Arrh.

Haec tamen aliquas subeunt limitationes, quarum prima est, consuetudines locorum aut provinciarum retinendas esse, si quae adversus jus commune invaluerint. Sane plures Canonum Interpretes testantur moribus multarum gentium receptum esse, ut arrhae, sequuto matrimonio, non reddantur. Altera est, minorum annis viginti quinque etiamsi crita legitimam causam a sponsalibus recesserit, tantummodo ad id quod accepit reddendum teneri, hoc est ad acceptas arrhas restituendas, suas autem si quas dederat, non amittere. Tertia

est, parentes qui sponsalia nomine filiorum contracta datis vel acceptis arrhis confirmarunt, eximi a poena perdendae arrhae, vel alienae in duplum restituendae, si filii datam ab ipsis parentibus fidem praestare nolint, dummodo parentes nullam ejus infidelitatis causam dederint, sed curaverint, ut sponsalia, sicuti par erat, implerentur. Nam hujusmodi promissiones alieni facti juxta jus commune, et magis receptam Doctorum sententiam resolvuntur in obligationem faciendi, curandique, quoad ejus fieri poterit, ut promissio compleatur, L. final. ff. ad L. Rhodiam de Jactu; Sanchez de Matrim. lib. 4 disput. 25 et 26.

§ 144.

DE POENA SPONSALIBUS ADJECTA.

Arrhis valde affinis est poena conventionalis, seu pactio sponsalibus adjecta, qua contrahentes sese invicem obstringunt ad poenam, seu certam pecuniam solvendam, si promissis non steterint. In hoc tamen differunt, quod arrha actualiter traditur, et poena promittitur, quodque communiter arrha in exigua quantitate, poena autem in majori constituitur, cum quisque sit ad promittendum pronior quam ad tradendum. Jam vero si poena ita sponsalibus apponatur, ut ab eo etiam qui ex justa causa resilit solvenda sit, nemini dubium est, quin naturae et indoli matrimonii per se repugnet, cum matrimonia libera sint oportet. Sic Gregorius IX in cap. GEMMA de Sponsal. et Matrim. : « Cum libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter poenae interpositionem sit merito improbanda, mandamus, si ita est, eumdem B. ut ab extorsione praedictae poenae desistat, ecclesiastica censura compellas. » Ea poenae appositiō jure etiam civili vetita satis aperte videtur, L. TITIA ff. de V. S., et L. LIBERA cod. de inutil. Stipulat. Hinc S. Thomas in 4 distinct. 27 quaest.

§ CXLIV. DE POENA SPONSALIBUS ADJECTA. 303

2 a 3 ad 4 haec habet : « Quandoque autem apponitur conditio pecuniae per modum poenae, et tunc quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi poena ab eo qui non vult matrimonium completere. » Et S. Antoninus 3 part. Summ. Theolog. tit. 4 cap. 48, ait : « Licet sponsalia possint contrahi sub conditione promissae pecuniae non tamen potest pecunia amitti per modum poenae, et si promissa fuerit, non tenet promissio, nec peti potest. » Nihi-lominus Canonistae recentiores hinc inde pugnant, an idem jus obtineat, si modica poena ita fuerit sponsalibus adjecta, ut solvi ab eo debeat qui injuste et perfide recessit. Aliqui enim contendunt, hanc quoque appositionem poenae nullam esse atque irritam, tum quia per citatas leges canonicas et civiles omnis poena in sponsalibus generatim reprobatur, nullo facto discrimine an poena modica sit, an magna, tum quia poena sponsalibus adjecta semper officit libertati matrimonii; proclive enim est, ut matrimonium non amore potius, sed metu poenae convalescat, et ob eam causam infelicem exitum sortiatur. Alii contra sentiunt, adjectam in eum poenam, qui sponsalium fidem injuste et perfide violaverit, nullo jure improbari irritamque decerni, non Jure civili, quod ad ductae leges per novellam Constitutionem 18 Leonis Imperatoris emendatae sint vel antiquatae; non Jure canonico, quod citatum cap. GEMMA plane loquitur de sponsalibus quae ob defectum aetatis non valebant, unde immerito poena adjecta fuerat; non denique jure naturali, quatenus hujusmodi poena ad actum per se honestum impellit, scilicet ad fidem praestandam, nec ullo pacto contrahentium libertas laeditur, nam qui justam non habet causam resiliendi a sponsalibus, jam libertate caret, atque ipse ut stet promissis, cum leges jubeant, tum etiam per censuras ecclesiasticas compelli potest.

Verumtamen ratio decidendi, quam Pontifex subjicit in cap. GEMMA, adeo generalis est, ut plane videatur prior sententia Juri Canonico magis congruere, atque adeo quailibet

poena sive magna, sive modica, sive in eum qui legitime, sive in eum qui injuste resilit constituta improbari.

§ 145.

DE PERSONIS AD INEUNDA SPONSALIA IDONEIS.

Sponsalia rite contrahunt qui natura vel lege non prohibentur. Vetantur autem natura ipsa amentes, furiosi, aliique rationis usu carentes, itemque destituti sensibus ad percipendum, vel consensum exprimendum, quemadmodum supra diximus; pueri septem annis minores ex sententia Jurisconsultorum, quam Pontifices sequuti sunt, quia rationis usu non pollut, et ea proinde aetate contrahendis sponsalibus inepti sunt. Ad rem S. Thomas, in suppl. quaest 43 a 2: « Primus hominis status est cum quis neque ipse intelligit per se, neque ab alio capere potest. Et hunc statum obtinet homo ante primum septennium, et proinde illo tempore nulli contractui aptus est, et ita nec sponsalibus. » Igitur aetas septennii completi ad sponsalium validitatem tum lege, tum natura definitur. At si cui usus rationis citius adveniat, et prudentia aetatem suppleat, hoc est, si quod agit, et quam suscipit obligationem, satis percipiat, tum et naturali et ecclesiastico Jure sponsalibus ineundis aptus erit. In foro tamen externo non rata sponsalia habentur, nisi illud dilucide comprobetur, quod reipsa quidem consilium praevenerit aetatem, Glossa in cap. JUVENIS ad verb. *dubia de Sponsal. et Matr.*, et plerique Doctores consentiunt; qua in re Episcopi est judicium. Contra autem impuberis quicumque septennio maiores, quod communiter intelligunt, et in futuras nuptias possunt consentire, et Romanis legibus, sacrisque Canonibus sponsalia recte contrahunt. Quoniam vero lubricum et fragile est impuberum consilium, a sponsalibus contractis liceat et valide possunt resilire, sed tum solum cum ad legitimam aetatem, seu ad pu-

§ CXLV. DE PERS. AD INEUNDA SPONS. IDONEIS. 307

bertatem pervenerint, ita tamen ut qui prior pubertatem adipiscitur, resilire statim pro libitu valeat, nec alterum, donec pubescat, exspectare teneatur. At si pubes cum impubere sponsalia ineat, non aequo jure utrinque consistunt; nam pubes a fide data nunquam potest resilire, bene vero impubes, cum ad pubertatem pervenerit, sponsalia rescindere pro arbitrio poterit. Hanc autem rescissionem impuberis pubertatem adepti exsequi et declarare statim debent, id est intra triduum ex quo pubertatem attigerint; in jure enim statim fieri aliquid dicitur, si intra triduum peragatur: computatur autem triduum a die quo et adeptam pubertatem, et privilegium resiliendi cognoverunt. Ni fecerint, rata firmaque sponsalia evadunt, cum ad valorem et confirmationem prioris obligationis non expressa ratihabitione, neque novo consensu opus sit, cap. DE ILLIS 7, de Desponsat. impub. Praeterea jus illud rescindendi sponsalia admittit, si ante pubertatem adeptam, videlicet ante expletum in viro annum quartum decimum, et in foemina duodecimum carnalis copula inter eos perfecta fuerit, malitia supplete aetatem, cap. 8 eod. Probabilius est etiam non licere amplius a sponsalibus resilire, si impuberis pubertati proximi, nimirum doli capaces, servaturos sponsalia juraverint, cap. EX LITTERIS 10 de Sponsal. et Matr., ubi Alexander III eam rationem assert « quod periculosum est contra suum juramentum venire. » Sed aliquibus haec sententia non arridet, tum quia videtur Decretalis Alexandri per posteriorem Decretalem Lucii III in cap. REQUISIVIT 17 eod. abrogata esse, dum Lucius decrevit mulierem, quae sponsalia juraverat, monendam esse, non cogendam, tum quia explorati juris est juramentum additum contractui sortiri easdem contractus conditiones; sponsalia autem impuberum conditionem tacitam habent, nisi facti puberes resilierint. At priorem sententiam diximus probabiliorrem esse, quia Decretalis Alexandri III satis perspicua est, ipsius autem abrogatio est valde dubia; imo Doctores numero